



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

IV. De Reo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

ad haeresim, sufficit tamen ad indicia. Testes de auditu satis non sunt, nisi delictum in voce constat. Sibi contrarius legitimus testis non est.

28. *Standum ne testis responsioni in iudicio?* Ita planè, nisi plures coniecturæ sint pro asserto extra iudicium.

29. *Quotnam testes requiruntur?* Duo, & satis sunt, ut iure gentium receptum iam est; quod autem duo ultra accusatorem esse debeant, de humano iure tantum est.

30. *Quid, quando testes discordes sint?* Si sint in substantia discordes testes actoris, & rei, iudicandum pro reo; si discordes sint in accidentibus, iudicis prudentiae relinquitur.

31. *Tenetur ne aliquando quis se offerre in testem?* Non vocatus obligari aliquando potest ad se offerendum tam in Civilibus, quam in Criminalibus. v.gr. quando vel innocens penit, quem meo possim testimonio defendere, vel à proximo iniuste bona auferuntur, quæ non possit alia via recuperare.

32. *Testificans falsum quanto se polluit delicto?* Cum iuridice non proceditur, fallum testificari veniale peccatum est, modò iuramentum absit; mortale vero cum iuridice. Testificans falsum ex ignorantia probabili, vel non culpabili inaduententia, non tenetur ad restitutionem damni ex eo secreti. Testificans falsum scienter, tenetur ad damni restitutionem & ad retrahitionem etiam cum periculo vitæ, si simile damnum reo timeatur.

33. *Qui testificari non vult, tenetur ne ad restitutionem?* Minime. *Quid si fugiat citatus?* Neque tenetur agere tamen potest contra charitatem m.

C A P V T I V .

De Reo.

34. *L*eet ne reo crimen occultum ad sui defensionem detegere; Nec contra iustitiam, nec contra charitatem esse existimo: quinimò si fiat cum moderatione inculpata nullum peccatum esse asserto; quia licet vexationem redimere.

35. *E*ste ne contra iustitiam accusatori calumnia crimen imponere. Si falsum crimen, vel occultum reo obiciat, non erit contra iustitiam calumnia crimen accusatori imponere, quia vim vi licet repellere; at contra charitatem aliquando esse posse *Filinius* affirmat.

36. *Tenetur ne semper reus fateri veritatem?* Non tenetur cum iuridicè non interrogatur: aut cum dubitat de iuridica interrogatione. Tenetur vero si iuridicè interrogetur, & id illi notum sit. Probabile tamen est nec cum iuridicè interrogatur, veritatem fateri teneri in grauioribus penalis corporibus, ut morte mutilatione, &c.

37. *Obedire ne tenetur per iniustam sententiam damnatam?* Non teneri in conscientia affirmo. Tamen per vim non potest se defendere. Fugere quidem potest è carcere, etiam post sententiam, si mortem, aut mutilationem timeat. Efringere carcerem etiam potest, &c custodes data pecunia decipere, & aliis modis periculum evadere.

38. *Alij ne auxilium illi possunt impendere?* Ita planè, non tamen ministri publicæ potestatis, nec alijs specialiter prohibiti; quia Magistratus cui inserviunt debent gerere morem. Profectò illis quibus licet auxilium dare ad fugam, non licet carceres efringere.

C A P V T V.

De Aduocato, Procuratore, & Notario.

39. *Possunt ne aduceare quicumque sese huic muneri ingenerere voluerint?* Non omnes possunt aduocare, v.g. qui ob impotentiam, vel defectum, vel indecentiam. Munus graue aptum exigit ministrum. *Quotnam in Aduocato requiruntur?* Quatuor, scientia conueniens, fidelitas, iusta causa, & iustum premium. *Qui scienter iniustam causam defendit?* Ultra mortale peccatum, ad restitutionem quoque tenetur. *Si dubia causa probabilis sit?* Suscipi potest. *Si premium taxatum est?* Ultra non licet; si autem non est taxatum, satis est iustum naturale. *Tenetur ne pauperibus gratis patrocinari?* Ita quidem; et si sit extrema, aut grauis necessitas, etiam cum suo incommmodo tenetur; si communis necessitas, non tenetur huic, aut illi in particulari; si autem possit sine graui suo incommodo, aliquando tenetur.

40. *Quotnam in Procuratore conditiones?* Etiam quatuor exiguntur, Scientia, Diligentia, Veritas, & Iustitia.

41. *Quotnam denique in Notario?* Quinque, Scientia, obligatio ad res sui munieris peragendas, veritas & fidelitas, & iustitia tum in conficiendis instrumentis iusti, tum in iusto prelio ob laborem suum accipiendo.

C A P .